



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 131. Vtrum de ratione fidei infusæ sit, vt ineuidenter coguoscat
diuinam reuelationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

sua fuisse reuelatione euidenti.

19. Ad 1. nego antecedens. Aliquando, licet non videamus hominem loquentem, audita voce ipsius, euidenter cognoscimus illum loqui; ergo potest etiam homo, licet non videat Deum, tamen per lumen propheticum, ita penetrare diuinam reuelationem, vt euidenter cognoscat illam esse reuelationem Dei, vt explicatum est conclusione 2.

20. Ad 2. concedo maiorem, & distingo minorem: locutio actiua consistit in aliquo actu immanente diuini intellectus, vel voluntatis, transeat: locutio passiuæ, nego. Ex dictis quæst. 118. locutio passiuæ Dei consistit in aliquo actu intellectus nostri; ergo licet homo Deum non videat, potest diuinitus illuminatus per lumen propheticum ita penetrare talem actum sui intellectus, vt euidenter cognoscat illum esse diuinam locutionem.]

21. Ad 3. nego antecedens. Potest enim aliquis, vel per naturalem perspicaciam sui intellectus, vel per lumen infusum ita penetrare signa, per quæ Deus confirmat suam reuelationem, vt neque imprudenter possit dubitare, illa posita fuisse à Deo ad confirmandam reuelationem; ergo potest per signa cognoscere euidenter diuinam reuelationem. Et quidem demones, quia per naturalem perspicaciam sui intellectus ita penetrant signa nostre fidei, vt euidenter cognoscant illa non potuisse poni nisi à Deo, fide quadam coacta, credunt Deum reuelasse nostram religionem; aliqui autem viatores, vt probatum est conclusione 4. per lumen infusum, & supernaturale hoc idem penetrantes cognoscunt euidenter Deum reuelasse nostram religionem.

22. Ad 4. Certum est Deum non posse facere miracula in testificationem rei falsæ, alioquin testificaretur falsum. Quæritur, vtrum si Deus dedisset alicui potestatem generalem, faciendi miracula, & ille vellet abuti tali potestate in testificationem falsi dogmatis, Deus posset cum illo concurrere ad miraculum factum in confirmationem falsi dogmatis. Affirmat Hurtadus disput. 27. de fide, sect. 4. 6. 9. & sequentibus, idemque videtur docuisse Durandus quæst. 1. Prologi, num. 47. Bannez in præsentibus, quæst. 5. artic. 1. & Michael de Medina lib. 5. de reâ in Deum fide, cap. 7. Probabilius negant Suarius tom. 2. in 3. partē disput. 37. sect. 2. post 3. conclusionem, Granada disp. 8. de fide, num. 10. & sequentibus, ac docent Deum non posse concurrere ad miraculum factum in confirmationem falsi, saltem in circumstantijs, in quibus non posset aliundè constare miraculum, prout procedit à Deo, non fieri in confirmationem illius dogmatis, sed ad alium finem. Ratio est, quia miraculum factum in confirmationem alicuius dogmatis in circumstantijs, in quibus non potest aliundè constare tale miraculum, prout procedit à Deo, non fieri in confirmationem illius dogmatis, sed ad alium finem, naturaliter significat Deum confirmare

illud dogma; sed Deus non potest ponere signum naturaliter significans Deum confirmare falsum; ergo &c. Hinc sequitur Deum posse quidem dare alicui potestatem generalem, faciendi miracula, sed non posse dare potestatem etiam abutendi potestate faciendi miracula in confirmationem falsi. Addo, quod dato, sed non concesso, quod vnum, vel aliorum miraculum posset ab homine fieri in confirmationem falsi, tamen complexum omnium signorum, quibus confirmatur religio christiana, est essentialiter connexum cum hoc, quod Deus reuelauerit christianam religionem; ergo potest intellectus creatus, vel naturali perspicacia, vel lumine infuso ita penetrare hoc complexum, vt conuincatur Deum reuelasse religionem christianam.

23. Ad 5. distingo maiorem; Deus ponit signa nostre religionis solùm ad generandam fidem obscuram de diuina reuelatione, nego; ponit signa ad generandam fidem obscuram in iis, qui non penetrant talia signa, & ad generandam etiam cognitionem euidenter in aliquibus penetrantibus talia signa, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deus ponit signa nostre religionis, non solùm ad generandam fidem obscuram in fidelibus communiter, sed etiam ad generandam in aliquibus perfectè penetrantibus talia signa, cognitionem euidenter de diuina reuelatione; ergo non est mirum, quod si bene penetrantur, sufficit ad generandam cognitionem euidenter de diuina reuelatione.

QVÆSTIO CXXXI.

Vtrum de ratione fidei infuse sit, vt ineuidenter cognoscat diuinam reuelationem?

1. Videtur de ratione fidei infuse esse, vt obscure, & ineuidenter cognoscat diuinam reuelationem: primo, quia cum fides ab Apostolo ad Hebræos 11. definiatur, *sparendarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, de ratione fidei est, vt sit argumentum, seu firma adhæsiō rebus non apparentibus; sed si fides cognosceret euidenter diuinam reuelationem, diuina reuelatio appareret, & etiam mysteria reuelata propter connexionem cum reuelatione apparerent euidenter; ergo &c.

2. Secundò de ratione fidei infuse est, vt sit assensus liber, & meritorius; sed si cognosceret euidenter reuelationem, non liberè, ac proinde nec meritorie assentiretur reuelationi, neque obiectis reuelatis, quæ euidenter apparent vt connexa cum diuina reuelatione; euidencia enim necessitat ad assensum; ergo &c.

3. Respondeo plures distingui posse quæstiones. Prima quæstio est, vtrum de ratione fidei vniuersalissimè sumptæ sit, vt cognoscat

gnoscat reuelationem obscure, & ineuidenter?

4. Dicendum fidem, qua credimus Deo, ex sua vniuersalissima ratione abstrahere ab hoc, quod habeat, vel non habeat euentiam de diuino testimonio, & etiam ab hoc, quod sit libera, vel necessaria. Probatur: nam fides ex sua vniuersalissima ratione est habitus credendi quæ Deus dicit ex solo motiuo diuinæ veritatis illa testificantis; sed siue credamus quæ Deus dicit propter diuinum testimonium euidenter cognitum, siue propter diuinum testimonium cognitum solum obscure, & ineuidenter, siue assentiamur liberè, siue necessariò, credimus quæ Deus dicit ex solo motiuo diuinæ autoritatis illa testificantis; ergo &c.

5. Confirmatur: nam quia charitas ex sua ratione vniuersalissima nihil aliud est, quam habitus diligendi Deum ex solo motiuo diuinæ bonitatis; possumus autem ex solo motiuo diuinæ bonitatis Deum diligere, vel amore necessario, vt diligunt beati, vel amore libero, vt diligunt viatores; charitas abstrahit ab hoc, vt diligit Deum amore necessario, vel libero; ergo quia fides ex sua ratione vniuersalissima est habitus credendi quæ Deus dicit ex solo motiuo diuinæ autoritatis; possumus autem ex hoc motiuo credere necessario, vel liberè; fides ex sua ratione vniuersalissima abstrahit ab hoc, quod credat assensu necessario, vel libero.

6. Secunda quæstio est, vtrum de ratione fidei liberæ, & meritoria sit cognoscere reuelationem obscure, & ineuidenter?

7. Dicendum, fidem vt meritoriam, & liberam abstrahere ab hoc, vt diuinam reuelationem cognoscat euidenter, vel ineuidenter. Probatur: nam licet intellectus, cum habet euentiam de diuina reuelatione, necessitetur ad credendum, tamen non necessitetur ad credendum super omnia, sed potest credere aliqua fide inferiori, qualis est, qua credunt demones, & damnati; ergo assensus, quo credit super omnia propter reuelationem euidenter cognitam, potest esse liber, & meritorius. Explicatur. Fideles communiter, licet non habeant euentiam de diuina reuelatione, & non conuincantur de mysterijs reuelatis, tamen non solum liberè credunt, sed etiam credunt super omnia, & credunt maiori adhesionem, quam credant multa alia, de quibus habent euentiam, & conuincuntur; ergo possumus ex imperio voluntatis assentiri obiecto per assensum, ad quem non conuincamur, & qui sit etiam firmior alijs assensibus, per quos assentimur obiectis, à quibus conuincimur; ergo intellectus etiam si conuincatur, potest ex imperio voluntatis assentiri obiecto assensu firmiori, quam sit is, ad quem secundum se præcisè conuincitur à motiuo; ergo etiam si euidenter cognoscatur diuina reuelatio, tamen assensus fidei potest esse meritorius, & liber, saltem quoad modum assentiendi super omnia. Negari tamen non potest, quod actus fidei, qui cognoscit reuelationem obscure, & ineuidenter, habeat aliquam specialem libertatem, ad eoque aliquod speciale meritum. Patet. Nam cum reuelatio est ineuidens, non solum possumus non credere super omnia, sed etiam possumus simpliciter non credere, & fortasse possumus etiam negare reuelationem, & rem reuelatam, vt dicitur quæstione 135. sed posse simpliciter non credere, imò negare reuelationem, & rem reuelatam, est aliqua specialis libertas; ergo &c. Rursus in credendo super omnia obiecto obscuro, captiuando intellectum in obsequium Dei reuelantis, datur meritum speciale; sed cum reuelatio est obscura, possumus habere hoc meritum; ergo &c.

8. Tertia quæstio est, vtrum ad fidem, quæ est principium merendi vitam æternam, requiratur, vt cognoscat diuinam reuelationem obscure, & ineuidenter?

9. Dicendum fidem, quæ est principium meriti, abstrahere ab hoc, quod diuinam reuelationem cognoscat euidenter, vel ineuidenter, per actum necessarium, vel liberum.

10. Probatur: nam cognitio, quæ in Christo fuit principium totius meriti, erat euidentissima, & non libera, sed necessaria, cum vel esset visio beatifica, vel scientia infusa; ergo cognitio, qua credimus mysteria propter autoritatem Dei reuelantis, etiam si euidenter cognosceret diuinam reuelationem, & esset omninò necessaria, ac non libera, posset esse supernaturalis, & ex auxilijs gratiæ, & habere alias condiciones requisitas ad hoc, vt esset principium meriti. Hinc sequitur fidem, qua, vt dictum est quæstione 130. concl. 6. Prophetæ credebant mysteria propter reuelationem immediatè visam, & euidenter cognitam, cum esset supernaturalis, & elicitæ ex lumine supernaturali prophetiæ, potuisse esse principium proximum exercendi actus meritorios vitæ æternæ. Ex opposita ratione fides coacta, qua demones credunt, & contremiscunt, non potest esse principium vllius meriti, quia est purè naturalis, & non ex auxilio gratiæ supernaturalis.

11. Quarta quæstio est, vtrum de ratione fidei infusæ, ac theologicæ sit, vt diuinam reuelationem cognoscat obscure, & ineuidenter?

12. Dicendum fidem infusam, & theologicam ex sua ratione vniuersalissima abstrahere ab hoc, quod diuinam reuelationem cognoscat euidenter, vel ineuidenter. Probatur: nam fides infusa, & theologica ex sua ratione vniuersalissima est habitus credendi quæ Deus dicit, propter autoritatem Dei reuelantis, sistendo in ipsa; sed siue euidenter, siue ineuidenter cognosceretur reuelatio, saluaretur, quod crederemus quæ Deus dicit, propter autoritatem Dei reuelantis, sistendo in ipsa; ergo &c.

13. Quinta quæstio est, vtrum de ratione

ne fidei habitualis per se infusa, quam habemus de facto, sit, vt diuinam reuelationem cognoscat obscure, & ineuidenter?

14. Respondeo affirmatiuè cum communi sententia, quam sequuntur Suarius disp. 3. sect. 8. num. 18. & Cardinalis de Lugo disput. 2. sect. 1. num. 7.

15. Probatur primò; nam quæ ponuntur in definitione fidei, quam habemus de facto, sunt eius prædicata essentialia; sed in definitione fidei tradita ab Apostolo ad Hebræos 11. ponitur, quod sit argumentum non apparentium; ergo est prædicatum essentialia fidei, quam habemus de facto, vt sit argumentum, siue firma adhesio rebus non apparentibus, hoc est non euidenter cognitis, saltem per ipsam fidem; sed si posset euidenter cognoscere diuinam reuelationem, posset assentiri rebus apparentibus, hoc est euidenter cognitis per ipsam fidem; ergo fides nostra non potest euidenter cognoscere diuinam reuelationem. Confirmatur: nam de ratione fidei nostræ est, vt per illam videamus per speculum, & in ænigmate, vt dicitur 1. ad Corinth. 13. sed videre in ænigmate est habere cognitionem obscuram, & ineuidentem; ergo &c. Rursus de ratione fidei nostræ est, vt assentiamur propter reuelationem, quæ, vt dicitur 1. Petri, sit veluti lucerna, lucens in caliginoso loco; sed hoc significat reuelationem obscuram; ergo de ratione fidei nostræ est, vt credat propter reuelationem obscuram.

16. Probatur secundo; nam de ratione fidei nostræ est, vt credat per actum voluntarium, & liberum, & quo captiuetur intellectus in obsequium Dei loquentis; ideoque Bernardus lib. 5. de consideratione, cap. 6. fidem nostram definiens, dicit, *Fides nostra est voluntaria quedam, & certa prelibatio nondum propalata veritatis*; & Augustinus tract. 16. in Ioann. dicit; *Multa homo potest facere non volens; credere autem non potest, nisi volens*; sed si fides nostra posset credere propter reuelationem euidenter cognitam, posset credere assensu necessario, & non captiuante intellectum; neque enim captiuamus intellectum, cum credimus per actum euidentem; ergo &c.

17. Sexta quæstio est, vtrum sit possibilis habitus fidei per se infusa idem numero indifferens ad credendum, vel per actum necessarium propter reuelationem Dei euidentem, vel per actum liberum propter reuelationem obscuram, & ineuidentem?

18. Respondeo affirmatiuè. Probatur primò; nam de facto charitas per se infusa est indifferens ad amandum Deum amore necessario, vel libero, ideoque eadem numero charitas in via amat Deum amore libero, in patria Deum amat amore necessario; ergo idem numero habitus infusus fidei posset esse indifferens ad credendum Deo, vel actu necessario propter reuelationem euidentem, vel actu li-

bero propter reuelationem obscuram.

19. Probatur secundo à priori. Nam habitus per se infusus habent rationem potentie, vt dictum est lib. 6. quæstione 71. de Gratia; sed eadem numero potentia potest esse indifferens ad eliciendos actus claros, vel obscuros, necessarios, vel liberos; ergo idem numero habitus per se infusus fidei posset esse indifferens ad credendum per actum euidentem, vel obscurum, necessarium, vel liberum.

20. Dices primò: quare ergo Deus de facto infundit nobis habitum charitatis eodem numero indifferenter ad amandum Deum amore necessario, vel libero, & non infundit habitum fidei proportionaliter indifferenter?

21. Respondeo rationem esse, quia habitus charitatis debuit idem numero manere in patria, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam exiit*; habitus fidei non debuit manere in patria, iuxta illud eiusdem Apostoli eodem cap. 13. *Cum venerit, quæ pre seculum est, euacuabitur quod ex parte est*; *videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; sed vt habitus charitatis maneat in patria, debuit idem numero esse indifferens ad amandum Deum amore necessario, prout amat in patria, vel amore libero, vt amat in via; vt habitus fidei non maneret in patria, debuit esse determinatus ad credendum obscure, & liberè; ergo &c. Ratio, quare charitas debet manere in patria, non autem fides, est, quia sicut charitas ordinatur ad amandum Deum, non solum tanquam obiectum formale, sed etiam tanquam obiectum materiale primum, sic fides ordinatur ad credendum Deum tanquam obiectum materiale primum; sed Deum possumus amare, non solum cum illum non videmus, sed multo magis cum videmus facie ad faciem, Deum autem, & diuina non possumus credere, cum illa videmus, vt dicitur quæstione 132. &c. go &c.

22. Dices secundo: habitus debent differre ex obiecto formali; sed habitus credens Deo propter reuelationem euidentem, vel obscuram, non differret ex obiecto formali, siquidem eadem numero reuelatio potest cognosci euidenter, ac denominari euidentem, vel obscure, ac denominari obscura; ergo &c.

23. Respondeo, distinguo maiorem: habitus debent differre ex obiecto formali, vt ex ratione, sub qua proponitur, concedo; sed non sufficit, vt differant ex ratione, sub qua proponitur obiectum formale, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego conuenientiam. Habitibus, & actibus possumus differre ex ipsa ratione, sub qua proponitur obiectum formale, eo pacto, quo desiderium, & gaudium differunt per hoc, quod desiderium habet pro obiecto formali bonum cognitum, vt absens, gaudium habet pro obiecto formali bonum cognitum, vt præsens; ergo

ergo habitus, & actus fidei possunt differre per hoc, quod moueantur à reuelatione cognita euidenter, vel ineuidenter.

24. Confirmatur solutio: nam actus credens propter reuelationem cognitam euidenter, procul dubio differret specie ab actu credente propter eandem reuelationem cognitam obscure; ergo etiam habitus credendi propter reuelationem cognitam euidenter, potest specie differre ab habitu credendi propter reuelationem cognitam obscure. Ad ipsam euidentiam, vel obscuritatem esse complementum reuelationis; & obscure ultimo completæ differunt specie; ergo habitus credens propter reuelationem euidentem habet obiectum formale specie differens ab habitu credente propter reuelationem obscuram.

25. Infertur primò actus, quibus Damones credunt, non elici ab habitu theologico fidei infusæ, qualis est nostra. Probatur primò: nam ille actus est merè naturalis, & necessarius, & quodammodo coactus, & non resoluitur ultimo in diuinam reuelationem, sed in motiua, quibus euidenter probatur diuina reuelatio; sed nostra fides infusa potest elicere solos assensus supernaturales, non necessarios, sed liberos, non euidentes, sed obscuros, & qui ultimo resoluantur in diuinam reuelationem, non autem in motiua, quibus probatur diuina reuelatio; ergo &c.

26. Infertur secundò actus, quibus, vt dictum est quæstione 130. concl. 5. num. 13. aliqui homines diuinitus illuminati ita penetrant signa credibilitatis, vt ex ijs cognoscant euidenter Deum reuelasse nostram religionem, non elici ab habitu nostræ fidei infusæ. Probatur: nam illi actus, licet sint supernaturales, tamen sunt euidentes, & ultimo resoluntur, non in diuinam reuelationem, sed in signa credibilitatis; sed habitus nostræ fidei infusæ elicit solum actus obscuros, & qui ultimo resoluntur in diuinam reuelationem; ergo &c. Si verò queratur, à quo habitu eliciantur tales actus, primò potest dici, quod eliciuntur ab habitu intellectus, vel sapientiæ, qui recensentur inter dona Spiritus Sancti. Secundò potest dici, quod non eliciuntur ab aliquo lumine habituali, sed solum ab aliquo lumine actuali, & transeunte, eo pacto, quo communiter actus prophetandi non eliciuntur à lumine prophetico habituali, sed à lumine prophetico merè actuali, & transeunte.

27. Infertur tertio actus, quibus, vt dictum est quæstione 130. num. 16. concl. 6. primi doctores fidei cognouerunt immediatè, & euidenter diuinam reuelationem, non elicitos fuisse ab habitu fidei nostræ. Ratio est, quia fides nostra elicit solos actus ineuidentes; sed illi actus erant euidentes; ergo &c. Potest igitur dici, illos actus elicitos fuisse à lumine prophetico, vel actuali, & transeunte, vel habituali, & permanente.

28. Infertur quartò, quod si, vt docent

aliqui, Angeli in via crediderunt Deo propter reuelationem immediatè euidenter cognitam, tales actus fuerunt quidem actus fidei theologice, cum resoluerentur ultimo in diuinam reuelationem, sed elicitos fuerunt ab habitu diuersæ rationis à nostra fide, quæ solum potest credere propter reuelationem obscuram. Probabile porro est, quod Angelus præsertim primus crediderit propter reuelationem euidenter cognitam. Cognoscebat enim euidenter mysteria sibi proponi sufficienter, & cum obligatione credendi super omnia; sed etiam cognoscebat euidenter à nulla creatura posse sibi proponi mysteria cum obligatione credendi super omnia, siquidem sciebat non dari creaturam superiorem se; ergo cognoscebat euidenter mysteria sibi proponi à Deo, ac proinde habebat euidentiam de diuina reuelatione. Quo pacto licet Angelus cognouerit euidenter diuinam reuelationem, tamen potuerit credere super omnia fide meritoria, & libera, explicari potest ex doctrina tradita in responsione ad 2. quæstionem. De fide Angelorum videri potest Suarius tomo de Angelis lib. 5. cap. 5. & Cardinalis de Lugo disp. 17. de fide, sect. 1.

29. Ad 1. Apostolus definit fidem nostram, non autem fidem ex sua ratione vniuersalissima; ergo solum sequitur de essentia fidei nostræ esse, vt cognoscat reuelationem obscure, quod vltro concessimus in responsione ad 5. quæst. non autem sequitur de ratione fidei in genere esse, vt cognoscat reuelationem obscure, quod solum negauimus in responsione ad 1. quæst.

30. Ad 2. respondeo primò distingo maiorem: de ratione fidei nostræ est, vt sit assensus liber, & meritorius, concedo: de ratione fidei in genere, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. De ratione fidei nostræ est, vt sit libera, & meritoria, adeoque vt cognoscat reuelationem ineuidenter. At fides in genere sicut potest esse necessaria, sic potest cognoscere reuelationem euidenter. Respondeo secundò, concedo maiorem, & nego minorem. Explicatum enim est in responsione ad 2. quæst. quo pacto assensus fidei, licet cognosceret reuelationem euidenter, nihilominus posset esse liber, & meritorius.

QUÆSTIO CXXXII.

Virum per fidem possit credi obiectum materiale partialiter euidenter?

1. Videtur non posse: eadem enim rationes, quæ probant non posse credi obiectum materiale totaliter euidenter, probant etiam non posse credi obiectum materiale partialiter euidenter; sed vt dicetur quæst. 133. non potest credi obiectum materiale totaliter euidenter; ergo neque potest credi obiectum